R 9a

NO. 1.

S. D. Etsi nec spem pacis, nec studia literarum abiecimus, tamen adolescentibus pluribusque hortator sum, ut vel in sua quisque patria, vel in alio loco tranquilliore hinc discedant, ijs praesertim qui non sunt instructi pecunia. Quare et hunc adolescentem Josephum ad vos redire facile passus sum et promisi me curaturum, si Deus restituerit pacem, ut spero, ut stipendium habeat. Hoc cum scriberem, nondum audiveramus ubi Saxonici Ducis et Hessi exercitus essent. Sed a Suevico exercitu audiveramus oppida Episcopatus Augustani et Wirtembergensis occupata esse. Deum aeternum patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut gubernet et defendat. Mitto tibi libellum recens hic editum. Bene vale. Die Julij 27

Philippus Melanthon